



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XVII. Markgraf Ludwig vereignet dem Dom zu Soldin acht Hufen im Felde
des Städtchens Neuenburg, am 8. September 1337.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

nominatorum, ville dicte Sunnenburg, prope eandem ciuitatem nostram site, que ad nos rite per decessum Henningi Garchow, fidelis nostri dilecti bone recordationis, sunt deuoluta cum tribus fructis et medio et duobus solidis denariorum Brandenburgensium in pactu in villa Karzick sitis, cum omni iure, honore, commodo, libertate et gracia, quibus premissos redditus Hermannus Holtzbotel, fidelis noster dilectus, tenuit et possedit, perpetuis temporibus altari prenotato sine inquietatione qualibet pertinendos. In cuius etc. Testes nobilis vir Io. de Buch, L. de Wedel, Hasso senior de Wedel et Tyde Brederlo cum ceteris. Datum Berlin, anno domini M. CCC. XXXVI, in octaua beati Martini Episcopi.

In einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. Cod. 4 in quarto) und in Diefmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives f. 212 mit dem Datum octaua beati Martini. In dem Breslauer Exemplar steht jedoch das Datum wie oben.

XVII. Markgraf Ludwig vereignet dem Dom zu Soldin acht Hufen im Felde des Städtchens Neuenburg, am 8. September 1337.

Nouerint etc. Quod nos Ludouicus etc. ob perpetuam rei memoriam, predecessorum, nostri, heredum et successorum nostrorum, Marchionum Brandenburgensium bone recordationis, et etiam ob id, quod habundancius, habitis ipsorum victualium necessariis, eo frequencius et effectuosius summo valeant obsequi creatori, honorabilibus et discretis viris decano, preposito, cappitulo siue collegio sancte Marie, inter muros ciuitatis nostre Soldin sito, appropriauimus et ex mera mentis nostre beniuolentia presentibus appropriamus octo mansos, inter campos et terminos opidi dicti Nuwenburg sitos, quatuorque solidos annuorum reddituum, in censu arearum in ipso opido situatum, sine impetitione qualibet quiete et pacifice perpetue possidendos, quos ex nostro bono consensu a dilecto nostro camerario Henrico, dicto Vrsel, debito pretio emerunt et comparauerunt pecunia numerata, eximentes ipsos mansos predictos cum vniuersis ipsorum pertinentiis eisdem ex debito vel ex iure pertinentibus ab omni seruitio seruituteque reali vel personali, a uecturis siue curruum ductionibus, a precariis et ceteris dationibus quibuscunque, sic quod ipsos ab huiusmodi premissis seruitutibus supportatos denuo debeant perpetue possidere. In cuius etc. Testes dominus Io. Buch, c. n. d., Ludoko de Wedel, Hasso de Wedel, Tydekinus de Brederlo cum ceteris. Datum Berlin, anno domini M. CCC. XXXVII, in feria natiuitatis Marie virginis gloriose.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. Cod. 4 in quarto).